



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Daniel Stylita. 11. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. DANIEL STYLITA.

II. Decembr.

*Sine intermissione orate. In omnibus
gratias agite.* S. Paul 1. ad Theff. c. 5.

COelo vicinus Incola Daniel est, qui an-
nos XXIX, columnam habitavit, indeq;
tempestates & cum his mortalia omnia gene-
roso supercilio despexit, orci ingens terror
Superis gratissimum spectaculum. Nempe
terris adeoque se altior Clientes sibi que obno-
xios reges habuit. Ita Leonem filio beavit &
mortis periculo exemptum Imperatorem sibi
vitam debere fecit. At Zenoni regni jacturam
longè, antè vaticinatus est. Contra Basiliscū
verò Ecclesiæ hostem ut pugnaret, è columnā
descendit & impendentes Numinis iras sa-
vienti objecit non vanus Augur. Jam & in Dæ-
monas malos regnum tenuit, éque corpori-
bus humanis, cum libuit, proscripsit; fuit que
cum mulier, quæ Divi Innocentiam infami
rumore aspererat, à vindice Genio obsessa,
non potuit obsidione nisi ab ipso Daniele li-
berari, Cæterum cum caelo uti propinquum
ita frequens illi fuit commercium, sub ulti-
mos præsertim tres vitæ dies, quibus Cælites
pluri-

plurimi ad agrum viscerunt. Horum nomina prodidit hominis item Incola Dæmon, uti & horam, quâ moriturus Daniel & ipse fugandus erat. Obiit verò Anno CCCC. LXXXIX. In corpore, quod diu tergemina Crux illustravit, tumulando Reges laborarunt. Animus fecit quod in vita jam fecerat; coelū habitavit.
Ex Metaphr.

M E D I T A T I O.

De Recollectione.

1. Solent viri pii, quidquid aggressuri sunt, Deo commendare, & inter agendum mentis oculos ad Deum identidem convertere, ut renovent puritatem intentionis, & impetrent gratiam, quæ omninò necessaria est ad felicem exitum omnium susceptorum; absolutâ demum actione, considerant, an benè, vel malè egerint: si benè, gratias agunt deo, si malè veniam ab ipso petunt. An ita agis?

2. Hac ratione exterminantur vitia, & virtutes facile acquiruntur. Ideò peccata peccatis cumulantur, quia nemo est, qui recogitet corde; nemo qui omninò, sibi persuadeat Deum esse spectatorem, & remuneratorem omnium actionum suarum; enimverò, an peccare auderes, si teneres firmâ persuasionem, Deum te videre, cum peccas? si respiceres paratam mercedem iis, qui pro Christo, & ut Christus, laborant, aut patiuntur?

3. Facilius est quàm putas, colligere sese, & Deum
 semper

semper in mente habere. Omnes res creatæ alliciunt ad amorem Creatoris, cùm considerantur ut effectus erga nos divinæ bonitatis, & imagines perfectionum Dei. Cœlum, terra, sol, planetæ, omnia demum enarrant gloriam ejus. *assuesce eorum vocibus & à rebus creatis ascende ad creatorem, qui sanè longè pulchrior est, quàm omnia quæ vides.* Aug.

S. SPIRIDION

12. Decembr.

Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

Christus Luc. cap 5.

Spiridion ex opilione Cypri Episcopus non vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere sollicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentum emeret. Alio item tempore cùm avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset. Spiridion huic disertis verbis in crastinum Annanam spopondit. Neque aliter factum quàm dictum Aqua um alluvio auctum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In

fures